





1 Musaei Joh. I diff. in Epist. ad  
Romanos Cap. IX v. 19 - 23.  
jane 1652.

2. — diff. de vera presentia  
corporis Christi in S. Coena.  
jane 1652.

3. — diff. II. De natura et  
definitione Ecclesie.  
jane 1655.

4. — diff. de resurrectione  
Christi a mortuis, Jane 1653

5. Musaei Petri diff. de Baptis-  
mo, H. Elmer. 1664.

DISPUTATIO DECIMATERTIA.  
EX EPISTOLA PAV-  
LI AD ROMANOS, PROPONENS  
ανάλυσις capituli undecimi.

(17, 13) 13

*Cujus positiones divina adjuvan-  
te gratia,*

PRÆSIDE DAVIDE RVN-  
GIO S. THEOLOGIÆ DOCTORE ET PROFESSO-  
RE in Academia VVitebergensi, in collegio disputa-  
tionum Theologicarum privato, defen-  
det 19. Martij,

M. LAURENTIUS LAELIUS FRANCUS.



WITEBERGÆ,  
Typis M. Georgij Mulleri.

Anno M. D. IIIC.

Magnificis,  
**REVERENDIS, CONSULTIS-**  
SIMIS ET CLARISSIMIS, REVERENDI ET AM-  
plissimi Consistorij Ecclesiastici,  
quod est Onoldi,

**PRÆSIDI, ASSESSORIBVS SPE-**  
CTATISSIMIS, DOMINIS PATRONIS ET  
promotoribus suis omni obsequiorum,  
genere submissè colendis.

Pia promptaq; gratitudinis symbolum disputationem hanc  
Theologicam exhibet.

Respondens.

## CAPUT VNDECIMVM.

**I**eratum hoc est caput tractationis, de populi Iudaici abjectione & gentium electione, quo Apostolus residuas aliquot quæstiones hujus disputationis discutiens, causam monstrat reprobationis Iudæorum <sup>propositum</sup>, ac gravissima commonefactione Christianos, ex gentibus conversos, hortatur, ut memores originis ac misericordie suæ, gratia Dei rectè uantur, ne & ipsi eandem maledictionis pœnam incurrentes excindantur: Ac deniq; de Iudæorum conversione agens, misericordiam Dei & abyssum judiciorum ac viarum Domini magnificè illustrat.

Potest caput dividi in quæstiones præcipuas quinque:

Primo. An totus populus Iudaicus à Deo sit reprobatus?

2. Quænam sit reprobatorum conditio, quæ attributa & signa?

3. Vtrum necesse fuerit Israëlitas reprobari, ut gentes eligerentur.

4. An propositum Dei tale sit, ut neque gentes ejus gratia excidere possint, neq; Iudæi ea deinceps gaudere debeant?

5. An omnia hujus articuli capita possint plenè explicari?

Vt autem in analysi capitilis è expeditius progrexi nobis liceat, brevem doctrinæ de prædestinatione & reprobatione <sup>et vero et ipso</sup>, superioribus disputationibus promissam, præmittere vixum est.

## DE PRÆDESTINATIONE.

### I.

PRÆDESTINATIO est decretum æternum voluntatis divinæ, quo ex beneplacito & misericordia sua in Christo ad vitam æternam elegit, salvare decrevit & proposuit, quoscunque in Filium creditur & in fide usq; ad finem perseveraturos præscivit.

### II.

In novo Testamento recepta est vox ἐπονεῖσθαι in hoc negocio, significans non in genere Dei βέλτιον, sed voluntatis determinationem, per certa media ad certum ὅρον, terminum seu finem decernenti præfixum. Vnde Aet. 13. dicitur Ordinatio Dei.

III.

Cognata est vox ἐκλογῆς, quia scriptura itidem in hæ  
causa utitur sæpiissime, Eph. 1. Math. 20, & 22. Marc. 13.

IV.

Est & in Novo Testamento vox πρόσεστος, quæ gra-  
tuitum Dei propositum salvandi omnes in Christum credentes  
*πρόστοις* denotat: Hinc dicuntur κλητοὶ κατὰ πρόστοις, qui vocationi  
divinae obediunt, & in sancto proposito perseverantes glorifi-  
cationis tandem redduntur participes Rom. 8. Eademque Eph. 1.  
vocatur εὐδοκία τὸ διελήματος & εὐλόγη τὸ δελήματος θεός.

V.

*Πρόστοις* Porro δέστος vox generalior est, quæ alicubi de πρό-  
στοι usurpatur gratioſa, ut 1. Thess. 5. Non posuit nos Deus in  
iram, sed in acquisitionem salutis. Ioh. 15. Ego elegi vos & po-  
sui vos, ut eatis & fructum feratis, & fructus vester maneat.

VI.

*Πρόστοις non significat creationē.* Nonnunquam etiam de decreto judicij et reprobationis  
hæc vox usurpari videtur, in 1. Pet. 3. Iudæis Christus est pe-  
tra scandalj, his qui offenduntur verbo, nec obediunt ἡγετά-  
τοστοι ad quod & positi sunt. Ineptum est, quod Erasmus refert  
hoc ad verbum Dei, cuius mentio præcedit. Impia vero Bezae  
interpretatio est, per θεοῦ intelligentis creationem hominis:  
Non enim hoc loco de Dei condentis consilio sermo est, sed de  
eiusdem judicio, vindicantis Iudæorum præcedentem impie-  
tatem sub sequente induratione.

VII.

*Duplex*  
*λόγος.* Ita 1. Tess. 5. ubi manifestè de Electis & credentibus  
agitur, dicitur innuitur duplex θεοῖς, alia ἀριθμητική, alia αρ-  
ιθμητική, quarum illa est incredulorum, hæc credentium:  
Vnde patet θεοῦ vocem apud Græcos appellationi decreti  
apud Latinos in hoc articulo respondere, & ad τἀγαγον δivinam  
referendam esse.

VIII.

*Electio ab aeterno facta.* Decretum hoc Dei aeternum esse, & credentes non de-  
mum in tempore eligi, sed ab omni aeternitate ad vitam aeter-  
nam electos & prædestinatos esse, perspicuè docet Apostolus  
Eph. 1. Elegit nos in Christo ante jacta fundamenta mundi,  
Quæ verba προφητῶν continent aeternitatis. Id ipsum 2. Tim. 1.  
confir-

confirmatur : Deus vocavit nos vocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum suam προνέοντι & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu, ante tempora æterna. Et hoc est, quod 2. Thes. 2. vers. 13, dicimur à Deo electi ἀπ' οὐχίς in sanctificatione Spiritus & fide veritatis.

#### IX.

Voluntatis divinæ mentio in definitione causam monstrat efficientem electionis & salutis nostræ, videlicet voluntatis di-  
vinæ beneplacitum ac propositum. Ea verò in dupli-  
ca est consideranda : Alia enim est voluntas προκαθημένη alia  
προμένη.

#### X.

Illa notat ardenterissimum desiderium Dei, quo omnes ho-  
mines nemine excepto salvari cupit in Christo fide appre-  
hendendo. *Distinctio voluntatis divinae.*

#### XI.

Creavit enim Deus homines, non ut absoluta voluntate Finis cre-  
quosdam illorum æternæ perditioni destinaret, sed ut singuli ationis.  
ac universi æterna gloria & beatitudine fruerentur.

#### XII.

Quia verò peccato in nos propagato impediti, ad finem creationi præfixum pervenire minimè poteramus : Idem ille Deus Pater misericordiarum, ac dives in miserationibus, filium suum unigenitum toti mundo redemptorem ac propitiatorum proposuit, & in ipso omnes homines salvari vult nemine excepto, Ioh. 3. 2. Cor. 5.

#### XIII.

Christus quoq; Salvator noster λυτρόν persolvit pro totius mundi peccatis, ac thesaurum gratiæ ac remissionis peccatorū sanguine suo partum depositum in sinum æterni patris I. Tim. 2. 1. Ioh. 2. *Christi sacrificiū.*

#### XIV.

Prætereà hoc suum beneplacitum ac gratiosum proposi-  
tum salvandi omnes homines in Christo, Deus annunciatum Vocatio  
decrevit omnibus hominibus, ut per verbum monstretur ratio  
applicationis, nimirum ut impij à peccatis ad veritatis agnitionem conversi, fide Christum Mediátorem apprehendant,  
ejusque obedientiam ac meritum sibi applicent I. Tim. 2.  
Ezech. 18. 33.

A 3

Ex

XV.

Ex his patet. Voluntatem Dei antecedentem non esse hy-  
Voluntas poticam, sed maximè seriam, juramento quoque divino  
antecedēs confirmatam, ut per duas rēs immobiles, quibus impossibile  
seria. est mentiri Deum, fortissimum solatum habeamus. Heb. 6.  
V. 18.

XVI.

Patet quoque ex præcedentibus, voluntatem Dei ante-  
cedentem, qua omnes homines seriò ac verè salvari vult, non  
esse absolutam, sed ordinatam ad media salutis, nimirum Chri-  
stum Iesum & prædicatum verbum ex parte nostra, Ezech. 18.  
& 33. vivo Ego nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur  
& vivat. 1 Tim. 2. Deus vult omnes homines salvos fieri & ad  
veritatis agnitionem pervenire 2. Pet. 3. Deus non vult peri-  
re quenquam, sed omnes ad pœnitentiam reverti.

XVII.

Propter hanc seriam Dei testificationem juramento con-  
firmatam & certo ordine determinatam, aliqui voluntatem  
Dei vñiversalem appellant decretum Dei de salute nostra:  
Constituit enim Deus per Christum non tantum paucos sal-  
vare, reliquis absolute beneplacito præteritis; sed omnes o-  
mninò, nemine mortalium excepto: Sed id facere constituit eo  
ordine, quem ipse hominibus præfixit, videlicet per Chri-  
stum fide apprehensum.

XVIII.

Vult porrò D E V S etiam omnes homines credere ver-  
bo revelato, neque illum simplici & absolute voluntate à  
medijs consequendæ salutis excludit Act. 17. Deus vult ut  
omnes ubique pœnitentiam agant.

XIX.

Ideò deflet Christus interitum populi Iudaici, non tan-  
tum motus consideratione calamitatum temporalium; sed  
maximè æternæ reprobationis & condemnationis, quam in-  
grata & propriæ justiciæ persuasione turgida gens inobedien-  
tia sua meruerat. Luc 13. Quoties voluite congregare & nolu-  
isti.

XX.

Quo minus autem electionem divinam, hoc antecedentis voluntatis beneplacito ac decreto, terminatam statuamus,

iu



in causa est, quod Apostolus prædestinationi divinæ conjun- non ex sō-  
git præscientiam Dei, qua non tantum considerantur media la antece-  
salutis ex parte Dei ut oblata, sed etiam respectu hominum, ut dente vo-  
usurpata vel neglecta.

luntate ju-  
dicandū.

XXI.

Idem enim ille Deus, qui ab æterno omnes in Christo  
salvari voluit, secundum sapientiæ suæ infinitam abyssum, ab  
omni æternitate præcognovit, non omnes homines mediis à  
se propositis recte usuros, sed maximam eorum partem spons-  
tanea inobedientia voluntati suæ benignæ repugnaturam esse.  
Hoc Deum præcivisse nemo, nisi perditus & profligatus a-  
postata à Christiana religione inficias ibit.

Deus ab  
æterno sci-  
nit mul-  
tos non  
creditu-  
ros.

XXII.

Si verò Deus ab æterno præscivit, quinam essent cre- Deg ab æ-  
dituri, qui non, Tum aut de vtrisque aliquid decrevit, aut ni- terno de-  
hil: Qui hoc affirmant contumeliosi sunt in Deum, quasi non credētib⁹.  
plenè curet res humanas, & tantum sollicitus sit de homini- et incredib⁹:  
bus quomodo ad fidem perveniant, eorum verò qui actu jam lis aliquida  
credunt, nulla afficiatur cura: Neque sanè præter Ethnico- decrevit.  
rum turbam, providentiam divinam negantium, hoc quis,  
quam dixerit.

XXIII.

Si Itaque idem ille D E V S omnes salvari cupiens, &  
conditionis hominum præcivis, aliquid de credentibus & in-  
credentibus ab æterno decrevit: Id vel patefactum est vel nons.  
Si non, frustranea est de eo omnis nostra disquisitio, cum de-  
creta Dei abscondita non sint humana præsumptione investi-  
ganda.

XXIV.

Sed meridiana luce clarius est, voluntatem Dei, ut ea  
versatur circà homines actu credentes, luculentissimè pate- num de ho-  
factam esse, cum uersa scriptura cœlestium huiusmodi ora- minibus  
colorum sit plena, quibus docemur, Deum credentes & in si- actu cre-  
de perseverantes decreuisse æternum salvos facere & glorifi- dētib⁹ &  
care: Incredulos & impoenitentes æternis pœnis afficere.

Consilium:  
Dei æter-  
num de ho-  
minibus  
actu cre-  
dētib⁹ &  
incredulis  
est pate-  
factum.  
Discrimi-  
nat na volun-  
tatum.

XXV.

Ex his fundamentis intelligitur descriptio voluntatis factum.  
consequentis, ejusque ab antecedente differentia: Illa consi- Discrimi-  
derat na volun-  
tatum.

derat finem, hoc est salutem & media, pro ut ex parte DEI or-  
dinata & constituta sunt, & offeruntur omnibus hominibus:  
Hæc eundem finem eademq; media considerat, prout vel ali-  
qui salutem consequuntur, aut non: vel media ab hominibus  
acceptantur, aut negliguntur.

XXVI.

Diluitur  
calumnia  
avtiphæ-  
sewæ.

Diverso  
respectu  
Dei fina-  
liter impæ  
nitentes  
vult sal-  
vari &  
abijcere.  
voluntas  
consequæ  
eterna.

3.  
Tria di-  
stincta de  
creta.

1.  
volunta-  
tis antece-  
dentiis.

2.  
electionis.

3.  
Reproba-  
tionis.

Vnde DEVS qui omnes homines vult per Christum  
salvari & neminem perire, idem ille incredulos ac impœni-  
tentes vult damnari æterna morte, idque sine ullo ἀντίφαστῳ  
periculo: Siquidem illud voluntatis antecedentis est, hoc con-  
sequentis: Impœnitentes enim & blasphemos Deus verè con-  
verti & salvari vult, quatenus homines sunt per Christum re-  
demti: At quatenus sunt & finaliter manent blasphemi & im-  
pœnitentes, eosdem DEVS abijcere decrevit, secundum  
dicta: Ioh. 3. Qui non credit in Filium, manet ira DEI super  
eum: Marc. 16. Qui non crediderit, condemnabitur.

XXVII.

Hæc enim oracula non demum in tempore nata sunt,  
sed ab omni æternitate in sinu æterni Patris & Sacrosanctæ  
Trinitatis consilio constitutum & decretum est, ut credentes in  
Christum salute coronentur æterna, increduli & finaliter im-  
pœnitentes verò supplicijs puniantur æternis.

XXVIII.

Quare ut in voluntate antecedente, quæ desiderium Dei  
salutem omnium hominum sicutientis complectitur, unius tan-  
tum generis est decretum: cuius sententia est: Volo, decerno,  
statuo, ut nemo hominum pereat, sed ut omnes in Christum  
credant & salventur: Ezech. 18. 33. 2. Pet. 3. Ita in consequente  
Voluntate, quæ præscientiam Dei includit, & quomodo homi-  
nes medijs salutis à Deo propositis utantur considerat, duo  
decreta sunt diversa: Quorum alterum est: Volo & decerno,  
ut omnes qui in Christum credunt & in ea fide perseverant,  
salventur Ioh. 3. Matth. 10. Alterum: volo & decerno, ut  
omnes qui in Christum non credunt & in incredulitate perse-  
verant, condemnentur. Ioh. 3. Matth. 16. Horum prius vo-  
catur decretum electionis: Posterior reprobationis.

XXIX.

Hæc declaratio ostendit fundamenta distinctionis su-  
pra

pra propositæ, quæ voluntas Dei in antecedentem & consequentem dividitur, et simul monstrat, qualenam sit electionis divinæ decretum, concernens videlicet eos, qui salutem æternam consequuntur, & vocati justificantur & glorificantur Rom. 8.

### XXX.

Refutat quoque eadem commemoratione calumnias Hisce im-  
corum, qui Ecclesijs nostris Calvinianas attribuunt opini- pudentib⁹  
ones, quasi statuamus Deum non voluisse aut constituisse in calumnijs  
Christo in gratiam recipere & salvare universum genus huma- nostræ  
num, Deum non seriò velle misereri omnium. Filium Dei præter me  
δε ἀνθρώποι non satisfecisse pro peccatis totius generis huma- ritum one  
ni. Vocationem non pertinere ad omnes homines: de infantis rātur Ec-  
bus baptizatis non posse certò pronunciari, quod sint in fœ- clesiae.  
dus Dei recepti. Ut autem hæc portenta opinionum per Dei  
gratiam cane atque angue pejus odimus; Ita calumniatores Gal. 5.  
istiusmodi judicio justi Dei, in perfidos Ecclesiæ suæ turbato-  
res animadvententis, commendamus.

### XXXI.

Dicimus itaque Electionem divinam esse voluntatis con-  
sequentis decretum, & considerari in eo homines non in quan-  
tum credere deberent, sed quatenus actu credunt: Quod quia Non om-  
non omnes faciunt, idque Dominus ab omni æternitate cogni- nes homi-  
tum habuit, ideo non omnes homines Deus ad salutem elegit, neselecti.  
non quod plures eligere & salvare noluerit ( omnes enim per  
Christum salvos fieri seriò voluit ) sed quod non plures per  
verbum convertendos & ad veritatis agnitionem perventuros  
cognovit.

### XXXII.

Neque enim ex decreto Dei sit, quod pauci sunt electi,  
cum is omnes homines salutis media amplecti voluerit: sed  
quod electi sunt numero pauci Matth. 20. & 22. id ipsi m sit  
non culpa Dei eligentis, sed vitio hominum qui contemtu ver-  
bi & Christi mediatoris gratiam oblatam aspernantur, & se in-  
dignos judicant vita æterna Act. 13.

### XXXIII.

Causa electionis nostræ ad vitam æternam non sunt no- Impulsi-  
stra opera, Rom. 9, sed sola Dei gratia & misericordia, Eph. 1. va causa  
2. Tim. 1. Rom. 11. Sic igitur & in hoc tempore reliquiæ secun-

B

dum

dum electionem gratiae fuerunt: Quod si ex gratia jam non ex operibus.

XXXIV.

Misericordiae verò Dei fundamentum est Christus Iesus filius Dei, extrà quem nobis peccato corruptis Deus ignis consumens est: Ideò dicimur electi in Christo Iesu Eph. 1.

XXXV.

*Thesaurū gratiae omnib⁹ parū aliqui aspernatur.* Dupliciter Christus in considerationem hujus mysterij venit. Aut ratione meriti, omnibus hominibus nemine excepto, acquisiti. Quo sensu totus mundus Deo est reconciliatus 2. Cor. 5. aut ratione apprehensionis, pro ut meritum ac beneficia, verbo Evangelij oblata, ab hominibus acceptantur, aut repudiantur.

XXXVI.

*Electio in Christo cætum priorem respectum, qui vñiversalis est, omnesque hominum et concernit, sed posteriorem simul includit, quatenus vide sumata.* Phrasis itaque Paulina: Elegit nos in Christo non tantum credentes per fidem Christo insiti sunt. Ac Phrasis ipsa ostendit, notari hoc loco simul Christi salvificum meritum ejusque applicationem. Nam propter Christi obedientiam facta est nostra ad æternam salutem electio, & per eundem atque in eodem est consummata.

XXXVII.

*Fides decreto electionis inclusa.* Quare necessariò mentio Christi in electione nostra simul includit fidei, Christum amplectentis, notionem: Siquidē Deus nunquam decretit salvare homines in Christo incognito, spretus aut neglecto, sed per fidem apprehenso.

XXXVIII.

Quos igitur Deus ab æterno præcognovit in Christum credituros, hos misericorditer ad æternam salutem elegit, non quidem ob prævisam fidem, sed per & propter Christum fide apprehensum. Perinde ut justificat gratis omnes in Filium credentes, non propter ullam fidei dignitatem, sed propter Christum,

XXXIX.

*Finalis perseverantiae* Additur præterea in definitione mentio finalis perseverantiae, quia ea omnibus dictis, quæ credentibus in Christum salutem pollicentur æternam, tacite est inclusa, & perpetuò sub intelli-

intelligenda, dicente Christo Matth. 10. Qui perseveraverit usq;  
ad finem, hic salvus erit. Ea que sublata omnem salutis spem in-  
tervertit his, qui aliquandiu fuerūt verē renati, sed πρόσκοποι.  
Marc. 4. 17. Ezech. 33. v. 12. Si averterit se justus à justicia sua  
moriatur.

#### XL.

Certum enim & indubitatum est, Deum non alio modo *Decretum*  
decrevisse lapsos homines salvos facere, quam quo id patefe- *Dei ex pa-*  
*cit & exequitur. Ex executione itaque decreti ratio est mani tefactione*  
*festa: Neminem enim actu in salutis æternæ possessionem im-* & execu-  
*mittit, nisi in Christum credentem & in fide perseverantem tione judi-*  
*usque ab finem. Quare perseverantium in fide æternæ electio- candum,*  
*nis proposito inclusam esse necesse est.*

#### XL I.

Ex hac & *αντίστοιχος* propositæ definitionis facile dijudicari. Tres que-  
possunt quæstiones quædam controversæ in hoc articulo, cu- *stiones con-*  
*jugis generis sint: Primo, Vtrum prædestinatione sit absolutæ vo-* troversæ.  
Iunctatis divinæ, an verò ordinatæ. 2. Sit ne universalis vel par-  
ticularis. 3. An præscientia fidei cum prædestinatione sit con-  
jungenda.

#### XL II.

Qui Electionem ex absoluta voluntate Dei determinan- *Calvinis-*  
dam censem, ut Calvinistæ fingunt, ex totius humani gene- *num dog-*  
ris polluta massa & ad interitum condita, Deum pro suo be- *ma,*  
neplacito aliquos ab æterno selectos saluti et gloriæ destinasse. Hisque solis de mediis consequendæ vitæ prospexit: his so-  
lis Filium redemptorem esse missum & datum, qui tantummodo pro illorum peccatis satisfecerit: ad hos solos pertinere E-  
vangelij vocem, quæ in eis solis efficacia interiori fidem ope-  
retur: Reliquam verò hominum multitudinem simplici & ab-  
soluto Dei decreto iudicioque ad æternam damnationem con-  
ditam & destinatam esse, blasphemō ore dicitant.

#### XL III.

Opinionem hanc Calvinianæ factionis contumeliosam *Quatuor*  
in Deum, scripturæ sanctæ adversam, bonis moribus inimi- *fundamen-*  
cam & perturbatis conscientijs pestilentissimam esse assevera- *ta refuta-*  
mus. *tionis.*

#### XLIV.

I.  
Blasphe-  
mia in  
Deum.  
Sap.11. v.  
25.  
Ose.13. v.

Deus enim nihil odit eorum quæ condidit, & nemini est autor perditionis, nec illudit humano generi, quando invitat ad pœnitentiam omnes & singulos, nec lacrymis Crocodili hypocriticè deflet interitum generis humani. Quæ sanguis & vniuersa qui Deo ascribit, næ is intolerabili blasphemia divini numinis majestatem offendit.

#### XLV.

9.  
EZ ch.18.  
Luc. 19.  
II.  
Repugnā  
tia scrip-  
ræ.

Scripturam quoque sanctam commento absoluti decreti, & reliquis, quæ ex eo enata sunt, opinionum portentis è diametro repugnare, non difficile est demonstrare ad oculum: Etsi enim Deus vult ac seriò desiderat omnium hominum salutem omnibusque prospexit de mediis salutis, tamen quia intelligit maximam eorum partem media istiusmodi aspernari, ideo ab æterno constituit credentes in Christum salvos facere, reliquos verò non propter absolutæ voluntatis decretum quoddam, sed propter incredulitatem excindere; Rom.11.

#### XLVI.

Hoc ne-  
gant ad-  
versarij.

Adhæc Christum datum esse non tantum paucis, sed vniuerso humano generi & toti mundo, ipse testatur. Ioh. 3. Ipsumque pro peccatis omnium hominum & totius mundi, imò etiam eorum qui pereunt, satisfecisse docent luculenta testimonia 1. Tim.2. 1. Ioh. 2. Rom.14. 1. Cor.8. 2. Pet. 2.

#### XLVII.

3. & 4.  
confutati-  
onis fun-  
damentū.

Porrò vocem Evangelii non tantum pertinere ad paucos, sed complecti omnes & singulos ostensum est supra, in analysi capitis Noni. Vocatio enim divina ad omnes spectat, nemine excepto. Nec deest Verbo efficax operandi vis, etiam si plerique spontanea inobedientia eius operationem impediunt.

#### XLVIII.

Porrò quod bonis moribus inimicum & conscientijs perturbatis molestum diximus Calvinianorum de absoluta prædestinatione dogma, id operosa demonstratione indigere non arbitramur: Epicureorum turba & profanæ mentes ita secum statuerint, si omnia in negocio salutis ab æterno, absoluto & inevitabili Dei decreto pendent, tum si ab æterno in Electorum numerum adscriptus sum, beneficio eo privari nunquam potero.

tero, quomodo cumque vitæ rationem instituam: Si non sum in electorum numero, inane erit omne pietatis & honestatis studium. Hac sane ratione ad epicureismū lata fenestra panditur.

X L I X.

Vicissim verò mentes ignitis Satanæ telis & temptationi. Calvinibus de prædestinatione vexatæ, dum salutis certitudinem neq;<sup>ni</sup> penitus à Sacramentorum efficacia, neque à promissionum vniuersalitate, neque à juramentorum divinorum certitudine, sed ab interno sensu fidei suæ, & absoluto absconditoq; decreti divini Θπλιγο- placito æstimandam intelligunt. Non possunt non variis φορίας dubitationum procellis agitari, cum in ipso temptationum ēstu fidei ac vivificæ consolationis sensu nullo tangantur, & de eternis Dei decretis sollicita atque anxia cogitatione distineantur.

L.

Quare cum doctrinam spiritus S. ad docendum, erudiendum & erigendum afflictos directam constet ex 2. Tim. 3. & ad corripi Rom. 15. Calvinianum verò dogma de absoluta salvandorum electione sine ulla fidei consideratione, & de damnandorum, consolansine ullo incredulitatis respectu, reprobatione, blasphemum dum utilis in Deum sit, & neque securas mentes solida γνώση, neque anxias vera παρακλήσει erigat, manifestum est id non ex Spiritu Sancti schola haustum, sed ex Satanæ Synagoga in Ecclesiam ingestum esse.

L I.

Vicissim inter eos, qui ex ordinatæ voluntatis divina determinatione electionis decretum judicandum censem, duo sententiarum genera sese offerunt, quorum prius est eorum qui perperam & contra Spiritus S. vocem vnam partem ordinis definiti & constituti in decreto divino tantum agnoscunt, docentes electionem non esse absoluta Dei voluntate, sed in Christo factam. Et quia in hac consideratione respectus sunt vniuersales, cum videlicet Deus Christum toti mundo Redemptorem constituerit, qui pro totius mundi peccatis re ipsa lati fecerit, totumque mundum Deo reconciliarit 2. Cor 5. Ideo asserunt Electionem vniuersalem.

L II.

Posterior sententia est nostrarum Ecclesiarum, que totum ordinem decreto divino prædestinationis includendum

B 3

Particula  
ris ele-  
ctio.

censem

consent, tum prout is est constitutus, tum quatenus est usurpatus: Ac quia non omnes utuntur mediis salutis, idque Deus ab æterno præcognitum habuit, idcirco solos credentes salvos facere, incredulos verò reprobare decrevit, Hinc particularis oritur Electio.

L III.

*Non ex solo verbo rū sed ex sensu Calvinismus est judicand⁹* Dextrè autem intelligenda est propositio, Pauci sunt Electi: Nam & Christus ea uititur Matth. 20. & 22, quam & nos retinemus: Et Calvinistæ eam perpetuo in ore habent: Verum sensu διεδία πασῶν discrepante. Ratio diversitatis appareat ex redditione causæ: Si enim ex Calviniano quæras, quæ causa sit, quamobrem pauci sunt electi, promptissimè est responsus, quia Deus plures eligere & salvari noluerit; Si ex nobis ejusdem paucitatis causam inquiras, respondemus, quia plures Evangelio colla submittere, idque vera fide amplecti noluerint.

L IV.

*Quare non omnes credant.* At instabis fortasse: Non potuisse plures credere, cum fides sit Dei donum, eaque non detur omnibus: Fatemur pro dolor fidem non omnibus dari, non quod Deus eam conferre plerisque nolit, sed quod plurimi mortalium iis mediis, p quæ fidem conferre Dominus statuit, vel omnino non utuntur, vel pessimè perfideque abutuntur, & Spiritus Sancti verbique divini operationem pertinaci inobedientia impediunt, Sicut docet parabola Christi Luc. 8.

L V.

Impudens itaque calumnia est, quæ nostris Ecclesijs eo quod cum scriptura particularem asserunt Electionem, impingit Calvinianum dogma de decreto Dei absoluto, quo maxima hominum pars, sine ullo incredulitatis respectu, ab æternæ salutis spe excluditur, & contra pauci absque ullo fidei in Christum intuitu cœlesti gloriæ destinati singuntur.

L VI.

*De præscientia fidei* Præscientiam fidei quod attinet; non est quod ea phrasis quenquam offendat, quasi Pelagianas opiniones de eligendorum præcognita dignitate ac meritis occulter. Prædestinationi conjungendam esse Dei præscientiam, tam est ex scriptura licet quidum

quidum ut negari nequeat , & in analysi capitinis octavi demonstratum ex dictis Rom. 8. Quos præscivit hos prædestinavit Rom. 11. Num repulit Deus populum suum ὥπ προσγνωτικός Pet. 1. Electi sumus κατὰ προσγνωστικός πατέρος.

### L VII.

Hoc cum negari nequeat , quomodo præscientia Dei cum negocio æternæ prædestinationis concurrat, in quæstione est : Alij absolutam eam singunt , ut Calvinistæ, quibus præscientiam cum prædestinatione confundentibus, præscire est pro suis agnoscere.

### L VIII.

Alij quia præscientia Dei vniuersalis est, ex natura præscientiæ vniuersalem Electionem educere satagunt. Cæterum ea ratione non modo omnes homines , sive credant sive non , salis non Sed etiam Diaboli, utpote ab æterno præcogniti, pro ἐκλελεγέντε debet considerari in decreto Electionis.

### L IX.

Quare in hoc negotio præscientia Dei intelligenda est cum determinatione fidei , quod nimurum Deus ab omni æternitate præcognoverit, quinam gratia Spiritus Sancti aspirante in Christum credituri , & in ea fide usque ad vitæ finem per eandem gratiam constanter essent perseveraturi.

### L X.

Patet hoc clarius ex prædestinationis divinæ executio-  
ne , seu ipsa salvatione hominum. Ut enim Deus, quos videt in Christum credere , & in fidei sinceritate per Spiritus S. opera-  
tionem perseverare , eosdem ex hac misericordiarum valle transla-  
tione , re ipsa & actu æternæ salutis participes facit : Ita quos ab æ-  
terno præcognovit credituros , eosdem salvare decrevit : Deo sum-  
Non enim aliud ab æterno decrevit , quām in tempore exequi-  
tur : Nec aliter in tempore agit , quām ab omni æternitate agere Harmo-  
constituit : Ipse enim Deus est , apud quem non est παραπλαγή , nia-  
πτεροπής ἀποσκίασμα Iacob. 1. v. 17. Malac. 3. v. 6.

Interim



LXI.

*Quomodo* Interim verò dum πρόγνωσις πίσεως electionis decreto fides decre ab æterno inclusam statuimus, non propter ipsam prævisam to electio fidem nos eligi, multò minus eam ex nostris viribus aliquo nis inclu modo pendere censemus: Sed solummodo medium id exprimitur. mimus, sine quo peccatoris nulla est apud Deum, ut justifica- tio, ita nec electio & salvatio: Nec fidem hoc loco ex se æstimandam consensus, sed ex correlati sui natura, videlicet Christi apprehensi, propter quem & eligimur ad vitam & justifica- mur.

LXII.

*Reproba-* Ex hac declaracione facile iudicari potest, secundum con-*tio quid* & triorum naturam, doctrina de Reprobatione: Ea enim est æ- ternum decretum voluntatis divinæ, quo secundum inenarrabilem justiam suam sempiterno exitio punire constituit eos, quos Diaboli & propriæ malitiæ operatione in incredulitate perseveraturos præcognovit.

LXIII.

*Reproba-* Perspicuum est, non agi hoc loco de voluntate προκύ-*tio ex vo-* οὐέντι, qua Deus omnes vult salvari & ad veritatis agnitionem lūtate Dei pervenire, sed de ἐπομένῃ, quæ secundum diversorum ob- consequen torum considerationem in duo dispescitur contraria decreta, te judican quorum illud τῶν μελλόντων πισένθη æternam salutem, hoc da. μελλόντων απισένθη eternum exitium concernit. Ut enim creden- tes vult salvos facere: ita in incredulitate perseverantes, qua- tenus tales, vult condemnare, quantumvis vellet eosdem ab- jecta impietate Christum agnoscere & salvari.

LXIV.

Causa reprobationis dupliciter consideranda est: Si e- nim ipsam ordinis hujus constitutionem intueare, qua Deus credentibus salutem, incredulis interitum præfinivit, pendet ea distributio & ordinatio ex divinæ voluntatis decreto, quæ pro inenarrabili sapientia sua ita cum genere humano peccatis corrupto agendum ab æterno censuit.

LXV.

*Vera cau-* Si verò ipsam damnandorum reprobationem consideres, sa Repro- ejus causa unica, vera & sola est incredulitas, quemadmodum bationis, irrefragabili Iudeorū exemplo confirmat Apostolus, Rom. II. per

per incredulitatem excisi sunt, tu' verò fide stes: Ut enim Christus Iesus fide apprehensus vnica & sola est salutis nostræ causa; ita eo neglecto impossibile est quenquam hæreditatem gloriæ adire.

### LXVI.

Toto pectore execramur horrendum Calvinianæ factio-  
nis dogma, quo reprobationis hominum causam ad absolu-  
tum Dei beneplacitum ita referunt, ut Deum nullo modo vo-  
luisse reprobes salvos fieri, sed eosdem ad interitum creasse  
statuant.

### LXVII.

Quod dogma non minus auditu horrendum & in De- *Deus nemini*  
um blasphemum est, quam alterum illud de particulari abso- *nem creat*  
lutaque electione: Deo enim creanti genus humanum non *ad damnationem*  
fuit hic propositus finis, ut maximam eius partem æternis addi-  
ceret supplicijs, sed ut bonitatem ac misericordiem suam pa-  
tefaceret, & in hac vita lucis suæ radijs hominem collustrans  
bonisque abundè perfundens, deinceps in altera æterna sui  
fruitione bearet.

### LXVIII.

Quare eorum quæ condidit nihil odit Dominus, Nemini autem sine odio & justa ira damnat: Quatenus igitur  
reprobi creaturæ sunt, non sunt ad interitum destinati, aut  
hostili Dei odio expositi. Hinc orta sunt oracula Prophetica:  
Perditio tua Israel ex te est, ex me autem salus Ose. 13. v. 9.  
Deus noster Deus (non ad perdendum qualis Calvinianus  
Deus, sed) ad salvandum. Psal. 68. Deus justus & salvans non  
est præter me Esa. 45. v. 21.

### LXIX.

Distinguit sanè adversarij hac ratione inter reproba- *Inane*  
tionem & damnationem, ut illam ab absoluto Dei benepla- *κριστόν*  
cito suspendant, huic vero causas intermedias, peccatum & in- *τορ αδε-*  
obedientiam substernant. Verum inane hoc κριστόν τορ non *σαριούμ*  
tollit fontem blasphemiae, dum quæritur, num absolutè De- *εργίτης*  
us quorundam hominum interitu delectetur, quos ad perditio-  
nem conditos, nunquam nulloque modo voluerit conditio-  
ne salvandorum perfungi. Hanc propositionem ipsissima Chri-  
stianismi principia labefactare, ac Deum cœn tyrannum crudelē

C

&



& sanguinarium considerandum proponere, intrepidè asserimus.

His de prædestinatione salvandorum & reprobatione  
damnandorum in genere præmissis porro ad textus evançalysti  
procedemus.

### Prima Quæstio.

#### *An totus populus Iudaicus à Deo rejectus sit.*

Dixerat paulò ante Apostolus sub finem capititis decimi,  
populum Israël tanta laborare impietate, ut Deum tota die  
follicitè vocantem ex alto despiciat, imò eidem contradicat,  
quamobrem eo neglecto gentes electas esse à Deo ut sint gratiæ  
cohæredes.

*An Iudei  
penitus re-  
probati.* Hinc oritur quæstio quæ sub initium capitum hujus pro-  
ponitur & discutitur, an abjectio populi Iudaici sit κακολική,  
ita quidem ut ex eo nulli deinceps salvari queant. Ratio απογί-  
ας est in verbis, num repulit Deus populum suum? Si enim le-  
mel hunc populum sibi eligit in peculium Gen. 17. v. 7. Exod. 6.  
periclitabitur Dei veritas & constantia, si eundem nunc omnino  
abijciat.

Responsio quadruplex est in textu:

Prima: Est simplex inficiatio: μὴ γένοιτο; quæ ostendit  
impium esse, Dei veritatem ulla ratione in dubium vocare.

2. Vanitatem objectionis instantia sui exempli diluit Apostolus, qui cum sit Israëlite ex tribu Benjamin, tamen à Deo  
in gratiam receptus sit.

*Præscivit* 3. A præscientiæ Dei certitudine, quæ falli nunquam pos-  
*Deus po-* sit: Deus ab eterno præscivit, qui nam in populo Iudaico in  
*pulum su-* Christum essent per Spiritus Sancti gratiam credituri: Novite  
*num* Dominus qui sunt sui 2. Tim. 2. v. 19. Quare totum popu-  
lum Iudaicum non abijcit.

4. Ab exemplo historiæ prophetice. Demonstrat enim  
jam olim eam fuisse populi Dei conditionem, ut in maxima  
hominum multitudine & impietate paucissimi fuerint verè pīj,  
in electorum numerum ascripti, Deoque notissimi. Hinc con-  
cludit v. 5. Eandem nunc quoque populi Iudaici rationem esse

85

ut reliquæ populi secundum electionem gratuitam salventur: Principia-  
Atque hac occasione simul repetit & inculcat mentionem *lis causa*  
cauiæ principalis in electione, de qua Rom. 9. plenius nata' electionis  
τισθοφην.

Cum multa sint in hoc textu quæ considerationem me rogativa-  
rentur in præsentia duo tantum capita breviter perstringere carnis,  
vitum est.

I.

sed Dei græ-  
tia et volu-  
tas.

*An de sua ad salutem electione pij possint  
esse certi?*

I.

Dignum est hoc ζήτημα diligentè consideratione, cum  
ejus meditatione Diabolus tentatas, & particularis electionis  
mentione turbatas mentes, miserè affligat, & fanatici miris  
præstigijs in ejus decisione ludant.

II.

Απόφασιψ quæsiti tenent Pontificij, qui ut de salute, ita Papistæ  
& de nostra ad eandem electione mentes humanas dubitatio- de electio-  
num tricis perpetuis involvunt. κατάφασιν tam nostræ profane jubene-  
tentur Ecclesiæ quam Calviniana factio, sed ex dissimili causa, dubitare.

III.

Hæc enim statuens Electionis decretum ab absuluto Dei Epicureis-  
decreto pendere, cuius effecta sint vocatio interna & efficax, mus Cal-  
vinæ justificatio, ex sensu interno pietatis & veræ pœnitentiæ de vinis tari.  
Electione judicandum censem, ita quidem, ut eum, qui vel  
semel, vniuerso vitæ tempore, serium motum aliquem fidei ac  
pietatis in se perceperit, de Electione sua & salute æterna nul-  
latenus dubitare debere confirmant.

IV.

Bellum sanè commentum, Epicureo huic seculo ad se-  
curitatem & peccandi licentiam stabilendam molliter substra-  
tum, ut mirandum non sit magnam profanorum hominum  
partem scitæ huic subscribere, nimirum verbis tam egregiè ad  
fallendum idoneis invitatum.

C 2

Quia



## V.

*Sup. th.  
42. et seq.* Quia verò ipsorum *πτόνετις* de absoluto Electionis de-  
creto notioræ vanitatis paulò ante est convicta , sponte reli-  
qua ruinosi istius ædificij membra collabi necesse est.

## VI.

Ac deinceps textus Paulini occasione ostensuri sumus ,  
Eos qui verè renati fuerunt , posse vicissim regenerationis do-  
no finaliter excidere .

Quod si verum , ut est verissimum , vanum igitur ex uno  
fidei motu de Electione Calvinistarum judicium .

## VII.

*Paulus de-  
sua elec-  
tione ad vi-  
tam certa-  
est.* Etsi autem pontificalia dubitatio ab imis radicibus subru-  
ta est atque eversa in analysi capitinis quinti & octavi , Notan-  
dum tamen venit argumentum , quod hic textus suppeditat ,  
planè firmissimum pro nostra sententia , qua posse hominem de-  
sua ad salutem electione certum esse asserimus : Paulus enim  
negans totum populum Iudaicum à Deo abjectum esse , con-  
firmat id suo exemplo , atque ita manifeste se Electorum nu-  
mero includit .

## VIII.

At vnde nam scivit se electum Apostolus ? num ex pe-  
culiari revelatione , ut Papistæ dicitant , cuius sanè nusquam  
ulla mentio est : Dicitur quidem *σκέψις ἀλογῶν* , sed hoc ratio-  
ne ministerij Apostolici , non æternæ salutis .

## IX.

*An pecu-  
liari reve-  
latione sci-  
perit Pan-  
lus se elec-  
tum.* Infuper si ex peculiari revelatione certus fuit Aposto-  
lisi de electione sua & æterna salute , tum eius argumentum in-  
præsenti quæstione nihil omnino concludit , Iudæi enim nō de-  
peculiaribus revelationibus , sed de populi sui abjectione quæ-  
rebant , cuius suspicionem animis ipsorum eximere conatur A-  
postolus , argumento à suo exemplo ducto . Quod si ipse pecu-  
liariter hac de re fuit edoctus : Tum ea argumentandi ratio ,  
planè foret inepta , qualem Spiritui Sancto tribuere nefas est .

## X.

*Electionis  
& salutis  
certitudo  
pendet ex  
iisdem cat-  
sis.* Perspicuum est igitur Apostolum Paulum de sua electi-  
one non aliter certum fuisse , quam de æterna salute . Rom . 8 .  
Habent enim se prædestinatio & salvatio ut Decretum & de-  
creti executio : Quare si de salute certus es , de electione dubi-  
tare :

tare non potes; Et qua ratione istius nititur  $\alpha\pi\delta\theta\epsilon\gamma\varsigma$ , eadem  
& hujus.

### X I.

Salutis autem certitudinem jam ante diximus non ex fidei nostræ sensu, sed promissionis divinæ immota veritate & Dei ter opt. maximi inæstimabili bonitate æstimandam: Ut enim illius est bona promissa non retrahere, ita hujus est inchoata in nobis perficere, & usque ad diem Domini magnum conservare, Phil. 2. 1. Tess. 1. 1. Cor. 1.

### X II.

Quare merum ludibrium Diaboli est, suggesterentis homini de salute sollicito cogitationem de æternis Dei decretis & absconditis, cum sit simpliciter inhærendum revelatis, &  $\alpha\beta\gamma\delta\eta\tau\alpha$  abscondita que decreta Deo relinquenda.

### X III.

Qui itaque in Christum Iesum verè credit, hic se ab æterno electum esse non dubitat secundum dictum Röm. 8. Quos <sup>Abscondit</sup>ta decretis elegit, hos vocavit, quos vocavit, hos justificavit: Idem se in certitudo vera fide usque ad finem Deo gubernante perseveraturum con- <sup>Electionis</sup>fudit. Idem se Dei gratosam operationem nullis contra consci- <sup>æstimanda</sup>entiam sceleribus impediturum statuit: Idem quoque omnes vitæ humanæ scopulos divina se adjutum clementia, tuto præternavigaturum, atque in beatitudinis portum tandem per- venturum divinis edoctus oraculis, & excitatus promissis spe- rat. Rom. 8. 1. cor. 10. Phil. 2.

### X IV.

Hinc liquet quibus fundamentis medijs inclusa sit nostra de æterna salute, nostrique ad eam electione noticia ac certitudo, nimirum ex parte Dei, promissio Evangelij vniuersalis, meritum Christi vniuersale, vocatio ad societatem regni cœlestis vniuersalis: Ex parte nostra fides amplectens promissionem verbo inclusam & sacramētis confirmatam. Ex qua certa spes oritur & pium propositum Deo obediendi, Hæc media quis negligit, aut aspernatur, mirum ne de salute non modo dubitet, sed planè desperet.

### X V.

Quod si cui propositum est contra conscientiam peccare, ei non solatio de salutis certitudine (que illi quatenus tali est

nulla) sed terroribus legis ac maledictione opus est, ut deposito somnio Calvinistico & inani spe salutis, ex unico sensu alicujus interni motus correpta, de veræ pietatis rationibus cogitet, nisi pessum ire velit.

XVI.

*Necessitas  
nove obe-  
dientiae et  
p̄j propo-  
siti.*

Demonstrat hoc Apostolus 1. Tim. 3. dicens: Milita bona militiam, retinendo fidem & bonam conscientiam, quam scilicet bonam conscientiam quidam repellentes, circa fidem naufragium fecerunt. Quæ verba innuunt inanem esse fiduciam de semel accensa fide nisi cum studio bonæ conscientiæ conjuncta sit.

XVII.

Neque tamen propter illud ipsum studium pietatis, ac propositum melioris vitæ, polliceri sibi æternam salutem aut perseverantiæ donū quispiam debet, cum hæc bona à sola gratia Dei & misericordia dependeāt: Sed tamen cavendum sollicitè, ne repellendo bonam conscientiam, & indulgendo cupiditatibus carnis fidem & Spiritum Sanctum contristemus vel excutiamus.

II.

*An Splendor sit Ecclesiæ nota?*

I.

Pontificium axioma est & dogma, Ecclesiam splendore metiendam, Splendoris vocem ita intelligunt, ut de externa atque in oculos in currente dignitate velint accipi:

II.

*Splendor  
Ecclesiæ  
Papisti-  
cus.*

Splendorem itaque hunc, de hominum ad Ecclesiam pertinentium numero dignitate & potentia, rebus nimis oculos ferentibus definientes, Pontificis Romani monarchicam tyrannidem, ingenti infulatorum ac rasorum turba munitam, & oppressa Magistratus autoritate, superbè imperantem, hoc argumento stabilitam cupiunt.

III.

*Ecclesia  
splendida.*

Commentum hoc ut συντόμως discutiamus, sciendum est scripturam sacram haud uno in loco prædicare Ecclesiæ splendorem & regium ornatum: ut Psal. 45. filia Regis eleganter comta sponso Christo adducitur. Et Psal. 48. v. 3. Eadem

dem Sion, h. e. Ecclesia, dicitur formosus rarus & gaudium  
universæ terræ: Nec non Esa 2. v. 2. Mich. 4. v. 1. appellatur  
Mons, domus Domini, in vertice montium, elevatus super  
colles.

IV.

Christus ipse Math. 5. v. 4. Ecclesiam appellat Civitatem  
super montem positam, quæ occultari nequit, & lucernam *Dignitas*  
collocatam ut luceat in tota domo. Etsi enim hoc dictum de ministerij  
ministerio Evangelico propriè intelligendum est, tamen quia aliquomo-  
id Ecclesiæ pars est non postrema, quodammodo ad totum do ad totā  
corpus pertinet, quod de ministerij splendore fuit enuncia- Ecclesiam  
tum.

V.

Hæc dicta Pontificij, carnali imaginatione Beluæque Ro-  
manæ majestate ac potentia fascinati, de externa luce, digni-  
tate, ornatu, forma, altitudine non minus ἀπαιδεύτως, quam  
impudenter intelligunt: Idque contra rationem omnem, imò  
contra perspicuam Spiritus Sancti explicationem.

VI.

Si enim verum esse statuunt suum de de splendore Eccle- Semper Ec-  
siae commentum, tum καθολικῶς verum sit necesse est; nimi- clesia fuit  
rum semper & ubique; Siquidem nullo non tempore Deus ex ornata  
genere humano colligit Ecclesiam, cui oracula Spiritus Sancti Christi sp̄  
supra allegata perpetuò competunt: Quod Esavitæ, sint licet sa.  
impudentes non negabunt.

VII.

Verum scriptura & omnium seculorum experientia re- Ecclesia  
stantur, veræ Ecclesiæ cœtum plerumque neglectum & splen- ad paucos  
dore externo regnis mundi nequaquam conferendum fuisse:  
Imò haud raro accidisse, ut tyrannorum sœvitia plane in an- redacta.  
gustum ejus copiæ concluderentur.

VIII.

Ac ne abeamus longius, textus is, quem in manibus ha-  
bemus, Ecclesiam Dei in regno Israel usque adeo attenuatam  
fuisse monstrat, ut oculos ac judicia hominum planè effu-  
gerit, teste Elia. Interim verè Dominus semper novit suos  
2. Tim. 2.

IX.

Similiter cum Christus Daniel & Paulus prædicunt horren- Sub Antic-  
dam Antichristi in Ecclesia grassantis tyrannidem atq; ἀπωστολο- chrisio op-  
ciap, eidem vaticinio Ecclesiæ afflictæ & propemodum op- tr̄ p̄r̄ βα Ec-  
pressæ clesiae

pressæ faciem oculis' contemplandam exhibent: Cedo ubi  
tum erit externa illa pompa, fastus regius, splendor, dignitas,  
potentia, quibus nimirum Ecclesiæ decus metiuntur negotia-  
tores Romanæ Babylonis

X.

*Et temporo-  
ribus Con-  
stantini  
Theodosij,  
&c.*

Ac ut quod res est breviter expediamus: Omnia illa quæ Pa-  
pistæ huic attributo externi splendoris includunt, non com-  
petunt Ecclesiæ Christi, quatenus talis est, sed divina disposi-  
tione nonnunquam ei accidunt; ita tamen ut ejisdem semotis  
non minus sit ac maneat Ecclesia, quantumvis obscura & igno-  
bilis sese hominem oculis offerat.

XI.

*Ecclesia  
afflita.*

Imo ὅτε ἐπὶ τὸ πολὺ hoc posterius illi convenire docet Chri-  
stus, vocans pusillum gregem Luc. 12. docent Prophetæ Psal.  
72. vers. 14. & cum reliquis mundi imperijs, imo cùm Synago-  
ga Satanæ collata externa longè miserior deprehendatur. So-  
phon. 3. vers. 12. Relinquam in medio tui populum pauperem  
& egenum sperantem in nomine meo: docent Apostoli 1. Cor.  
1. Iac. 2. docent historiæ Ioh. 7. Nemo ex principiis, sed tur-  
ba imperita Christum sequitur. Aet. 3. Apostoli judicantur  
idiotæ à Pontificibus, Et historia Ecclesiæ Christi usq; ad tem-  
pora Constantini Magni idipsum asserit.

XII.

*Ecclesia  
falsa est  
splendida.*

Tantum igitur abest ut externum Splendorem Ecclesiæ  
Christi necessariò adesse statuamus, ut fastum illum comtæ me-  
tricis Babylonicae inter coetera Antichristi Symbola & argu-  
menta referendum censeamus, depingente nimirum Apoca-  
lypsi ejus faciem cap. 17.

XIII.

Ad dicta scripturæ quod attinet, quæ ab adversarijs profes-  
runtur, ea non de externa pompa, splendore ac celebritate, sed  
de interno ac spirituali ornatu loqui tam est perspicuum, ut Soli  
lucem admoveat, qui id operosè demonstret.

XIV.

*Ecclesia  
splendor  
internus.*

Psalmus 45. Celebrat sponsæ Christi majestatem, Sed ad-  
dita ἐπιχείρησα: Omnis ornatus filiæ regis ab intus, hoc est, Eccle-  
siæ splendor non cernitur in mitra Pontificali gemisq; auroq;  
variegata, sed in vera Dei cognitione, fide, spe, dilectione, invo-  
catione, patientia, in cruce, &c.

Psal. 48.



## XV.

Psal. 48. Ecclesia est formosus ramus. Quamobrem? Num, quia Papa Romanus, Cardinales, Episcopi, Canonici &c. regali splendore nitent? Nequaquam, sed quia Deus in palatijs ejus cognoscitur, quod ipse sit refugium.

## XVI.

Ecclesia est mons Dei in vertice montium: Num quia <sup>Esa. 2.</sup> urbs Romana est septem collibus imposita? Minime gentium, <sup>Mich. 4.</sup> sed quia est fundata firmiter super petram Christum, ut ne quidem inferorum portæ eam evertere valeant.

## Corollaria.

### I.

Reliquiae secundum electionem gratiæ salvatae sunt, teste *Quare ele* Apostolo: Pauci igitur electi, & hi quidem ex reliqua societate *et i dicatur* hominum magno impetu ad perniciem ruentium relitti, per reliquiae, inde ac si quis peracta vindemia uvas aliquot derelictas inveniat: Hac enim similitudine Prophetæ utuntur,

### II.

Electio [hoc est electi] id quod quærerit assecuta est: Quicunque ergo secundum scripturæ phrasin verè & propriè dicuntur Electi, hi æternæ salutis participes sunt, Mat. 24.

## Secunda Questio.

### Quanam sit Reproborum conditio, qua attributa signa?

Cæteri, inquit Apostolus, induratis sunt. Reproborum videlicet conditionem verbo unico exprimens, πώρωσιν illam duabus explicat circumstantijs: Primo enim τὸ ὄτι probat testimonijs scripturæ, quod nimirum reliqui, qui non ex gratia justiciæ & salutis beneficia quæsiverunt, sed ex operum meritis, justo Dei judicio Satanæ traditi, atque excæcati sunt: productis testimonijs Propheticis Esa. 6. v. 9. & Psal. 69. v. 23. Deinde quidnam excæcatio illa in se complectatur, ex ijsdem oraculis perspicuum est. Primo nominat πώρωσιν καρδίας, quæ Ioh. 12. v. 40. Marc. 6. v. 52. Eph. 4. v. 18. induratis attribuitur: Ut enim in partibus corporis callo obductis sentiendi vis <sup>Attributa</sup> Carent debili- <sup>excæcatio-</sup> sensu.

D



debilitata est, ita induratorum corda nullo comminationum  
divinarum aut pœnarum sensu moveantur, sed tanquam ἀπλα-  
γκότες æternæ damnationis judicium incurant.

Secundò nominatur πνεῦμα κατανύξεωσις h. e. spiritus com-  
punctionis, Quæ phrasis ex Isa. 29. v. 9. est desumpta, ubi  
**Habent** רוח תְּרֵדֶפֶת verterunt 70. Interp. Spiritu κατανύξεωσις. Hebræa  
cauteri- phralis significat soporem gravem seu veternum profundissi-  
atam con- mum, omni sensu penitus privante, & notat improborum in-  
scientiam rebus salutem concernentibus ignoriam & αναιδεσίαν in cor-  
1. Tim. 4. rigibilem κατανύξεωσις verò cum ad animum transfertur, signifi-  
κατάνυξις cat dolorem quo is lacinatur; & videtur Apostolus voluisse il-  
lam reproborum notam exprimere, qua stimulos ac judicium  
conscientiae petulanter prosternunt, unde ἀυτοκατόκριτοι di-  
cuntur, non quod nullos conscientiae aculeos sentiat, sed quod  
eosdem nihil faciant, quo sensu Apostolus 1. Tim. 4. dicit eos  
conscientiam habere stigmate vel cauterio signatam. Chrysosto-  
mus dicit notari hac voce habitum animæ ita peccato deditæ,  
ut ad meliorem conditionem revocari nequeat.

**III.** Tertiò per ἐκφράσιν explicat, quid sit τώρεωσις & κατάνυξις  
Cæci & nimirum, quod oculis patentibus nihil videant v. 8. & 10. &  
surdi sunt auribus apertis nihil audiant, nimirum eorum quæ ad dijudica-  
spiritua- tionem operum Dei spectant: Sunt enim quædam tam manife-  
liter. sta & in oculos incurrentia, ut luce sua hominem irradient ac  
oculos perstringant, ita quidē ut improbi contra conscientiae di-  
ctamen scientes volentes de dictis & factis Dei sinistrè judicent,  
ut Pharisei Luc. 11. Pharae Exod. 9.

**IV.** Quartò. Reprobis mensa h. e. Verbum divinum ex quo sa-  
lulares epulas carpere debebant, vertitur in laqueum, captio-  
Media ad nem, scandalum & obstaculum. Est quidem vox cœlestis idèò  
vitam re- patefacta, ut sit lux ac lucerna pedibus nostris Psal. 119. ut sit  
probris sūt virga & baculus regens gressus nostros Psal. 23. sed idem re-  
organa probis fit παχύς, δίζα, σκάνδαλον, ἀνταπεδομα: Quæ vocabu-  
ad mortē. la ab incessu petita metaphorice designant effectum Verbi Dei  
per accidens, quo reprobos & impenitentes in curriculo fidei  
& vitae non juvat, sed impedit, non regit, sed evertit, perinde  
**V.** ut sol noctuarum oculos non illuminat sed excæcat. Quintò Re-  
sent vagi probi sunt incurvati, ut Paulus hoc loco loquitur, vel ut Psal.  
et incerti, 9. v. 23. dicitur: Lumbi eorum semper nutant, hoc est, sunt in-  
constantes, & vagantur incerti in constituendo cultu Dei &  
placanda.

placanda conscientia, ut in historijs Romanorum, Græcorum,  
Ægyptiorumq; videre est. Mens enim humana nisi innitatur  
fundamento verbi nusquam tuta conquiescit, ut de impijs Psal-  
mus 5. testatur v. 10.

Et hæc de textus ἀναλύσει dicta sunt. Quod ad res ipsas at-  
tinget, referatur huc declaratio doctrinæ de induratione capite  
nono hujus Epistolæ mediocri diligentia evolutæ.

### Quæstio.

Sint ne ijdem indurati qui reprobi & contra?

An omnes  
damnati  
fuerint in-  
durati.

I. Pro affirmativa militare videtur textus ipse inquiens: E-  
lectio afferuta est, quod quæsivit, nimirum justiciam & salutē: Cæteri scilicet non electi seu reprobi, sunt excæcati. Quæ ver-  
ba innuunt omnes reprobos ac damnatos pro excæcatis ab A-  
postolo haberi.

II. A parte negante stare videtur excæcatorum descriptio Pau-  
linæ textibus scripturæ illustrata, quæ nequaquam omnibus  
damnatis competit. Cum enim in magno gentilium numero, Ioan. 4:  
multi in prima ætate vitam cum morte commutarint, nec ani-  
mos discretionis unquam attigerint, interim tamen medijs  
consequendæ salutis destituti, æterno exitio simul multati &  
reproborum numero fuerint afferiti, non injuria quæritur,  
Quomodo illis attributa excæcatorum attribui queant, quod  
videlicet spiritum compunctionis habuerint, quod verbo Dei  
ad ruinam & scandalum abusi sint, & in cultu Dei instar cæco-  
rum vacillant.

III. Resolutio quæstionis ex gradibus reproborum petenda est,  
quos differentes esse tam in peccatorum, quam pœnarum censu  
testatur Christus Matth. 11. Vbi tolerabilius fore Sodomitarum  
& Gomorrhæorum supplicium Iudæorum damnatione affe-  
rit, & Luc. 12. distinguuntur peccata & pœnae eorum, qui sci-  
entes & qui ignorantे contrā mandata Dei delinquunt.

IV. Discerni itaq; omnes reprobi possunt in duo suprema gene-  
ra, quorum alterum est in cætu vocatorum, alterum extra eun-  
dem.

V. Eorum qui extrā cœtum vocatorum sunt, vicissim se offert Differētia  
infinita varietas, cum alij ad annos discretionis nunquam per-  
reprobore  
venerint, alij qui eos attigerunt partim flagitosè ac turpiter vi- inter eos  
xerint Rom. 1., partim honestè et decenter vitæ mores guberna qui non  
runt. Hocum omnium communis erit damnatio, sed gradibus fuerunt  
pœnarum differentibus distincta.

Gradus  
reproba-  
rum.

D 2

In κλητοῖς,



*Luc. 18.  
Tres gra-  
duis repro-  
borum in  
Ecclesia.*

**V I.**  
**In ipso cœtu Vocatorum tria reproborum genera Chri-**  
**stus constituit Luc 8. Matth. 13, & 20. Alij enim voluptatibus**  
**& curis mundi distinentur à proposito pietatis .Alij sunt ιοργη-  
τοι: Alij denique sunt indurati habentes cor instar semitæ tri-  
tum , in quo Satanæ domicilium est, qui studiosè cavet, ne ver-  
bum Dei istic fructificet, hi sunt irratores & persecutores mini-  
strorum Matth. 20.**

*Alla repro-  
borum di-  
uisio.*

**VII.**  
**Atque hic est summus reproborum gradus, nimirum co-**  
**sum , qui sunt excæcati , quibusque competunt attributa à**  
**Paulo proposita : Vnde hi κατ' ἔξοχον dicuntur ἀδέκιμοι hoc est**  
**reprobi 2. Cor. 13.**

**VIII.**  
**Possunt etiam reprobri in cœtu vocatorum in duo gene-**  
**ra dispesci, sumta differentiæ ratione ex reprobationis causa :**  
**Alij enim sunt reprobri circa fidem 2. Tim. 3. v. 8. ut Pharisei,**  
**haeretici.**

*Et alias  
sumitur  
judicium  
ab optima  
specie ita e:  
converso i  
in præselli  
sextho.*

**IX.**  
**Alij vero Deum se noscere confitentur , hoc est in pro-**  
**fessione religionis sunt sani , cæterum factis eundem negant,**  
**suntque πάντες πᾶν ἐργον αγαθὸν αἰσθάνεται, ut voluptuarij, vſura-**  
**xij, securi & maxima colluvies hominum.**

**X.**

**Ad locum Apostoli præsentem respondetur , reprobo-**  
**rum descriptionem in textu à specie pessima desumptam esse ,**  
**eamque naturam & attributa reproborum omnia contemplan-**

**da exhibere.**

### **Tertia Quæstio.**

**Utrum necesse fuerit Iſraeliticam gen-**  
**tem in universum reprobari ut**  
**gentes eligerentur?**

**Hanc ita proponit Apostolus v. 11. Numquid sic offen-**  
**derunt Iudæi ut caderent ? Hoc est : Ita ne abjecti sunt Iudæi ,**  
**ut necesse fuerit eos perire & gentes eligi : Respondet Primo**  
**μὴ γίνοισθαι**

μη γένοιτο, ostendens quæstionis impietatem in Deum & caritatem proximi.

κατ' α-

2. Per accidens inquit factum, ut ex Iudeorum delicto φορμήρηται salus contingeret gentibus, nimirum cum illi Evangelium irridetur, ut riderent & Apostolos persequerentur occasionem illis præbuerunt convertendi se ad gentes. Act. 13.

3. Finem consilij divini fuisse salutarem afferit, nimirum, gentes crederent in sancta æmulatione accensi Iudei, cum gentibus in Evangelio deret Evangeli.

Hanc causam illustrat plenius v. 13. & 14. Vbi se ministerio gentium strenue defuneturum pollicetur, ut populum Iudaicum carnali ratione sibi devinctum ad æmulationem provocet.

v. 11.

4. κατὰ Βιατὸν solvit propositam objectionem: Si delictum & diminutio illorum, quo Evangelium contemnendo reprobati sunt, occasionem præbuit Apostolis, gentibus annunciandi Evangelium, ac per id veras divitias toti mundo conferendi, quanto magis eorundem plenitudo & conversio ad Christum ad illustrandam Dei gloriam & vocem Evangelij propagandam fuisset profutura.

v. 12.

5. A minore ad majus: Si Iudeorum abjectio occasio nem affort, qua mundus per prædicationem Evangelij Deo est reconciliatus, quanto magis eorundem assumptio quasi novam ex mortuis vitam mundo fuisset paritura: Scandalum enim quod ex Iudeorum adversus Christum contumacia passi sunt gentiles, eorundem conversione sublatum & lux Evangelij felicius in omnes mundi partes fuisset prolata.

v. 13.

6. A promissionum divinarum proprietare, quæ proprie hominum infidelitatem non evertuntur. Hoc argumentum proponitur similitudinibus duabus, quarum altera ab oblationibus primitiarum, altera ex negocio θοτῶν petita est. Si primitiae populi Iudaici ( Abraham, Isaac, Jacob, Joseph &c. ) sanctæ sunt, & promissionibus Dei amplissimis ornatae, sanè eadem ad totam massam & omnem posteritatem eorum quodammodo pertinent, Siquidem primitiae & massa ipsa unius sunt generis.

v. 14.

Si radix sancta & rami; Quippe cum hi ex ea orti sint et nutrimentum accipient: Sensus argumenti iste est: Cum Deus

Collatio intelligatur de jure quod Iudei habent acceptan dis promis sionib⁹ nō de fa. 10. Abra

Abrahamo tanquam Iudaicæ genitis stipiti promissiones insig-  
nnes rerum spiritualium & corporalium, ad ipsum & postea-  
ros spectantes tradiderit, non est impossibile adhuc aliquos ex  
illius posteris istis beneficijs frui.

v. 17.

v. 17.

7. Denique concludit hoc thema παραγωγα ad gentes  
conversas, ne insolentia inflatæ, abjectis Iudæis, tanquam  
fractis ramis, insultent aut sese efferant, argumentis aliquot  
persuasionis utens. Primum: Iudæi sunt rami olivæ quantum-  
vis steriles; Gentiles verò planè sunt oleastri dignitate illis  
longè inferiores 2. Ethnici inserti sunt olivæ & à radice por-  
tantur. Malam proinde gratiam referrent radici, si naturales  
ramos respectui haberent. μεταφορικῶς nostram in Christum  
inpositionem hæc phrasis depingit. 3. Ethnici proprio vitali suc-  
co destituti pinguedinis olivæ facti sunt συγκοινωνοὶ: Naturales  
igitur olivæ ramos aspernarinon debent.

Hæc disputatio èd instituta est ab Apostolo, partim ut  
suspicionem odij privati in Iudæos concepti studiosè amolire-  
tur, partim ut conversos ex Isrælitis & considerata populi  
sui abjectione consternatos consolaretur, quò intelligerent non  
esse vñiversalem istam calamitatē, ac toti populo communem,  
partim denique ut gentium conversorum insolentiam retun-  
deret. Quia verò de reprobatione ante dictum est, nunc ad  
quartæ quæstionis ἀνάλυσιν accedamus.

#### Quarta Quæstio.

An propositum Dei tale sit, ut neq; gentes electi-  
onis gratia excidere possint, neq; Iudei ea  
deinceps gaudere debeant.

Poterant Christiani ex gentibus conversi Apostolo, de  
dignitate olivæ disputanti, obijcere, frustrā de radicis sanctita-  
te quæri cum rami fracti & abjecti sint, sibi contrà temerè oc-  
cini, quod ex oleastro excisi, cum nunc veræ olivæ inserti &  
electorum numero sint ascripti. Objectionem hanc accuratè  
tractat Apostolus: Et Primo ostendit veram causam propter  
quam Iudei reprobati sint 2. Eosdem vicissim posse inseri oli-  
væ,

gumma  
totius di-  
sputatio-  
nis sequen-  
tia.

væ, si τὰ μέσατα removeant, 3. gentes excindi posse, si fidem abijciant multis verbis testatur. Adhæc tria membra, si referas responsionis summam, nihil est in textu difficultatis.

Primò itaq; respondet per concessionem: Benè dicis: *V. 20.*  
Declarans nimirum, hactenus recte inferri, si quid fiat consideretur: At non tantum hoc, verū quare id factum sit, considerandum monet Apostolus. Secundò itaq; veram reprobatonis causam ponit, videlicet incredulitatem, propter quam fracti atq; ex oleo excisi sunt: Gentiles vero quia per fidem Christum amplexi sunt, id est in Iudeorum locum successerunt. *V. 20. 21.*  
Tertiò ad modestiam & humilitatem cogitationes istas refendis ait, non ad insolentiam, ne idem patiantur gentes, quod olim Iudæi: Idq; argumento à majori ad minus: Si Deus non pepercit his tanquam ramis naturalibus, quanto minus parcer illis tanquam insititijs. Quartò Finalem causam in consideratione abjectionis Iudeorum & electionis gentium pondemand proponit, nimirum in illa Dei severitatem, in hac ejusdem bonitatem sed ita limitatam, si conversi in bonitate permanserint. *V. 22.*  
Quintò. In pari periculo versari gentes cum Iudæis, si ab obedientia fidei discesserint, Et contra, Iudeos si credant Evangelio vicissim assumi posse ostendit. Id primò probat à minori ad majus: Si gentes ex oleastro excisæ, insitæ sunt veræ olivæ, quanto magis qui jam ante sunt naturalia membra: ejusdem gratiæ possunt fieri *Iudei* *συγκονverti* *των Ιουδαιων*. Deinde illustrat vaticinio de insigni aliqua Iudeorum ad fidem Christi conversione, cuius impletio, quia hactenus animadversa non est, non immerito adhuc expectatur. Ideò vocat *V. 25.*  
mysterium, quod non de particulari quorundam conversione, *Vaticinii* quæ tum temporis erat quotidiana, sed de gente Israélitica, vel *de Iudeotata*, vel certè maxima ex parte intelligendum est. Cœcitas r̄um coninquit ex parte contigit Israéli non in universum, idque tangentis per donec maximus gentium numerus ad Ecclesiæ societatem vocetur, & sic omnis quoque Israël, hoc est, omnes secundum carnē ex Israël progeniti salvi fierent. Tertio id ipsum quod de Iudeorū conversione dixerat, propheticō probat testimonio Esa: cap. 29 v. 20. Quartò à veritate & certitudine promissionū Dei patribus traditariū: Propter Evangelium quidem exosi Deo sunt Iudæi, invidentes gentib; cōversionis gratiā, sed propter



v. 28. pter Patres in peculium proprium electos non sunt penitus ab-  
jecti , ita ut nulla spes sit de eorum ad Evangelium conversio-  
ne. Hanc assertionem egregio noēmate munit , quo Dei voca-  
tione & dona ἀμεταμέλητα esse ait. Etsi enim multi donis , &  
v. 29. vocatione divina non recte utuntur , tamen Deum nunquam  
pœnitere potest suæ bonitatis hominibus , quantumvis ingratia  
*Deum non* exhibitæ , cum ea vel ad salvandos dociles , vel ad indociles  
potest pœ- potenter convincendos sit utilis. Quintò repetit argumentum  
nitere suo. collationis , quo non minus ait fieri posse , ut sicuti Iudæorum  
rum dono- incredulitas occasionem dederit conversioni gentium , ita olim  
rum. gentium fides ansam det Iudeis quoque ad eandem misericor-  
dias fruitionem percipiendam.

v. 30. 31. Postremò quæstionem hanc concludit Epiphonemate  
admodum insigni : Conclusit Deus omnes sub peccato , ut o-  
mnium misereatur : Quo disputatione totam revocat ad consi-  
derationem immense Dei misericordiæ . Eo enim ipsam vocem  
Legis , totum mundum de peccato accusantem , spectare ait , ut  
omnes agnitis peccatis ad thronum gratiæ & fontem misericor-  
diæ , Christum , confugiant , & per eum salutem consequantur  
*Particula omnis uni- versaliter accipiēda.* æternam. Hæc beneficia Dei cum sint vñiversalia , non debent  
hoc loco particulæ vñiversalæ referri tantum ad genera singu-  
lorum , sed & πλῆρε ad singulos generum , adeoque vñiversalis  
mortales , quos ideo Deus accusat per legem , ut corundem in  
Christo misereatur. Constituit enim omnium misereri in filio ,  
modo omnes eum vera fide amplectantur.

Ex hac textus parte quæstiones duas breviter delibare  
placet.

An verè renati possint finaliter gratia Dei exoidere.

Digna est consideratio huius ζετήματος propter Calvi-  
nistarum erroneam opinionem , qua constanter asserunt , eos  
qui semel verè renati sunt , dono regenerationis finaliter pri-  
vari & perire minimè posse.

Axioma Calvini-  
Barum. Fundamentum dogmatis sui in præsentí textu se habere  
immotum arbitrantur , quo dona Dei ἀμεταμέλητa appellan-  
tur . Ex quo inservunt , Deum cui semel fidei & regenerationis  
contum contulerit , ab eo id nunquam vicissim auferre.  
Contro-

### III.

Contrariam thesin scriptura manifestis testimonij, rati-  
onibus & exemplis <sup>et auctoritatibus</sup> evincit. Christus enim Luc. II.  
Spiritum immundum saepius ejici ab homine affirmat, quod  
nō nisi per renascentiae donū collato spiritu. S. fieri certum est,  
sed postmodum redeunte ad ingenium homine, excusso Spiri-  
tu Sancto succedere immundum, atque ita occupare sedem pri-  
stinam, ut nulla emendationis spes amplius affulgeat.

Possunt igitur renati finaliter excidere gratia.

### IV.

Textus præterea quem in manibus habemus id ipsum po-  
tenter afferit v. 22. Vide in te bonitatem Dei, si permanseris in  
bonitate, alioqui & tu excinderis. Alloquitur Apostolus con-  
versos ex gentibus, eosq; ad perseverantiæ donum hortatur  
argumento à periculo ducto, dum ait: periculum æternæ  
reprobationis ijsdem imminere si non permanserint in boni-  
tate: Possunt igitur renati & non perseverare & excindi.

### V.

Eodem tendit comminatio Prophetica Ezech: 18. Si <sup>3.</sup>  
averterit se justus à justicia sua & fecerit iniquitatem numquid <sup>Nō est hy-</sup>  
vivet? Omnis justiciæ eius non recordabor amplius. Peribit <sup>pothesis</sup> <sup>hoc loco</sup>  
igitur qui talis est.

### VI.

Ac quid vult aliud Propheta orans Psal. 51. Spiritum  
tuum Sanctum ne auferas à me, nec projicias me à facie tua:  
Poterant sane Calviniani Regiū Psalmem omni liberasse metu,  
mentione absoluti decreti sui: sed id, scilicet, nondum erat tum  
temporis conclusum.

### VII.

Idem confirmat Petrus 2. cap 2. quando docet eos qui ab  
inquinamentis mundi refugerant per agnitionem Servatoris  
nostrí Iesu Christi, posse ita rursum his involvi, ut posteriora  
fiant deteriora prioribus. At nemo Christum Dominum agno <sup>1. Job, 4.</sup>  
scere & confiteri, nec ejus virtute sordes mundi aversari potest,  
nisi verè renatus: Possunt igitur renati donum παλιγγενεσίας  
amittere ac perire.

### VIII.

Paulus quoque Apostolus adeò fuit ignarus Calviniani <sup>6. Ratio</sup>  
dogmatis ut 1. Cor. 9. affirmet, se ὑπωπταζούσεν h. e. castigare &

in servitutem redigere corpus suum, ne dum alios docet ipse reprobis fiat? At nihil erat causæ cur id metueret, si semel verè renati periculo omni reprobationis sunt exempti.

IX.

Plura scripturæ testimonia referre necesse non est, qualia sunt Rom. 6. Si secundum carnem vixeritis moriemini quantumvis nunc renati sitis. Heb. 6. v. 10. Multi qui gustauerunt virtutes venturi seculi, & fuerunt illuminati ac sanctificati possunt fieri apostatae Apoc. 2. Memento unde excideris & fac priora opera. Luc. 8. Quidam auditores credunt ad tempus sed in tentatione deficiunt.

X.

Exemplis quoque res patebit: Iudas & Saul per circumcisionis sacramentum verè participes facti sunt regenerationis; & postquam adoleverunt, sub initium vocationis suæ vera fide ornati fuerunt, qua tamen deinceps in universum sunt privati.

XI.

Ex his testimonij demonstratio extruitur invicta adversus omnium hostium machinas: Qui fuerunt illuminati sanctificati, templa Spiritus Sancti, possunt degenerare in apostatas & reprobos, ac denique prorsus excidi:

Renati igitur regenerationis beneficium finaliter possunt amittere,

XII.

*Responde-*  
*tur ad locū*  
*Apostoli*  
*præsentem*  
Neque tamen interim Deum pœnitet sui doni, quod ipsi ad salutem sibi collatum flagitosè & ingratè excutiunt, eiisque voluptates ac sordes seculi longè præferunt: Eo ipso enim φιλανθρωπίᾳ Dei etiam erga ingratis mortales evincitur, & is ab omni damnationis nostræ culpa penitus absolvitur.

XIII.

*Calvini-*  
*smg ex E-*  
*picureo*  
*contemtu*  
*verbi Dei*  
*nati iterū*  
Et lata via, ad Epicureismum orbi invehendum, Calviniano sternitur commento, dum renati cognita salutis suæ certitudine absoluta, cupiditatibus pro arbitrio frena laxabunt, infati interim falsa persuasione, se nunquam Spiritum amittere posse.

*gignit Epi-*  
*cureismū*  
*Bezæ af-*  
*fertio exa-*  
*minatur,*  
Falsum & blasphemum est affirmare, Davidem in ipso adulterij & homicidij actu retinuisse fidem & Spiritum S. tanquam ignem cineribus sepultum: Contrarium enim testatur scriptura, quod homicida non habeat vitam in se manentem 3, Joh. 3, 30

Ioh. 3. v. 18. quod qui secundum carnem vivunt morti sint  
obnoxij Rom. 8. Quare nisi audita Nathanis concione pœni-  
tentiam egisset David , mortis æternæ supplicium haud potu-  
met evadere.

## II Quæstio.

An electi possint perire.

### I.

Cognata præcedenti hæc est quæstio, nec tamen eadem. II. Electi non  
la enim affirmativè, hæc negativè deciditur: Dum eos, qui damnatur  
secundum scripturæ definitionem sunt & dicuntur electi, in æ-  
ternum perire non posse afferimus.

### II.

Hic exclamant calumniatores: An non hoc est Calvi-  
nismum introducere in Saxoniam, & omnia scelerati istius do-  
gmati placita confirmare? Non est, bone Vir: Calviniana e-  
nim electorum descriptio, ab ea quam ex scripturæ fontibus  
nos tradimus, διὰ πασῶν distat.

### III.

Illi electos definiunt ab æterno in arcano & absoluto **Electio**  
Dei decreto ad hoc conditos, redertos, vocatos & justificatos, ut **Calvinis-**  
salutem consequantur æternam, et hunc thesaurum nulla in- **nī**  
credulitate aut vitæ impietate amittant.

### IV.

Nos descriptionem hanc veritati sacræ scripturæ analo-  
gam negamus & pernegamus, ita quidem, ut neminem omni-  
nō mortalium hac ratione electum esse, vel unquam fuisse  
afferamus.

### V.

Electionis enim decretum non respicit absolutè personas spicit ordi-  
nas vel illas quomodocunque se habeant, sed intuetur ordinē, nem προ-  
salvandis divina autoritate prescriptum, & suprà à nobis de τως, perso-  
scriptum, quem qui ingreditur, in electorum est numero, quinas ἐπο-  
negligit, neglectus est,

### VI.

Verè igitur electi sunt, qui in Christum Iesum credunt, & eæ ordine  
in fide usq; ad finem perseverant; qui oves Christi sunt & ma ingrediū-  
nent, Hi sunt electi, in librum vitæ inscripti, ad vitam æter- tur,  
nam præordinati. Quare ut impossibile est, finaliter in fide per- Verè Ele-  
feyerantes perire Matth. 10. Oves Christi è manibus illis ab- eti,  
ripi Ioh. 10. Ita Electos perire est ἐκ τῶν ἀδυνάτων.

VII.

Hoc ipsum totidem verbis confirmat Salvator Mat. 24.  
prædicens horrendam religionū confusione mundi interitū  
præcessuram, quæ, si possibile sit, etiam electos possit in erro-  
rem inducere; innuens nimirum electos errori cum fundamen-  
to pugnante finaliter implicari non posse.

VIII.

A contra-. Et quid multis opus est, si pereunt & damnantur non-  
rīorum na sunt electi, sed reprobī ac damnati; Id enim ex contrariorum  
tura. natura est perspicuum.

IX.

Soli Deo quinam electi sint, voluntque eos digito notari: Sed hoc no-  
noti electi st̄tum non est: Dominus enim novit qui sint sui 2. Tim. 2. Do-  
1. Reg. 19. minus novit septem millia Iſraēlitarum in vera religione per-  
v. 10. severantium, in publica totius regni & woſaſia, Sed Elias eos-  
dem non agnoscit.

X.

Quare quod ad Deum attinet cuius scientiam nihil fugit  
eorum, quæ sunt, quæ fuerunt aut futura sunt, is quidem ex-  
actissimè novit, qui sint electi. 2. Tim 2. Ioh. 10. Ego cognosco  
oves meas.

XI.

Ad nos porrò quod attinet quomodo & ex quibus fun-  
damentis ac medijs singuli de electione nostra certi esse quea-  
mus supra dictum est, De aliorum autem electione non est no-  
strum judicare, nisi à posteriori.

XII.

Ita infantes baptizati & præmatura morte abrepti, elector-  
um numero certò ascribuntur, siquidem sœdus gratiae, in ba-  
ptismo confirmatum, nulla actuali malitia fecerunt irritum.

XIII.

Numerus electorum certus. Patet etiam quid de numero electorum secundum scriptu-  
ræ normam statuendum sit. Is enim, si consideres ut est, certus  
est: cum Dei æterna & infinita sapientia omnia ē vū intue-  
atur.

XIV.

Si eundem species, ut esse poterat, arctiore aut ampliorem  
esse potuisse disertè affirmat Christus, exemplo Tyriorum.

82

& Sidoniorum Matth. II. Si enim plures in Christum credidissent (quod gratia Spiritus sancti per media operantis facere potuissent) tum electorum numerus amplior fuisset futurus. Si aliqui ex his qui jam in beatorum numero sunt, ab obedientia fidei discessissent (quod spontanea malitia factitare ipsis fuisset in proclivi) minorem electorum numerum reddidissent.

*Numerus  
electorum  
potuisset  
esse major  
vel minor.*

### X V.

Exemplo, quantumvis dissimili, res erit illustrior: certi sunt alicujus Reipub. literariæ cives, in album inscripti, & actu in Academia versantes, si numerum speces ut actus est: Sim, ut esse poterat. Patet plures vel pauciores esse posse, poterant enim plures accedere, poterant item pauciores abire.

### X VI.

Quare si ex gentibus plures fuissent conversi, aut plures ex Iudeis Christi dulce jugum suscepissent, numerus electorum haud dubie longè superasset eum, qui nunc est: Quod si fuisset factum, non potuisset id ipsum præscientiam Dei latere, ejus igitur respectu semper certus fuit, est, & erit electorum numerus.

## Corollaria.

### I.

Iudeorum adhuc aliqua insignis conversio est expectanda. Fuerunt olim, qui eam in terreno regno Sanctorum, per mille annos in summa felicitate ac tranquillitate, duraturo futuram arbitrati sunt. Quorum imaginatio rem obscuram ignotiore explicans, utinam vera esset: Sed quò minus hoc credamus, *Opinio de regno terrena Sane* obstant oracula de extremis mundi fatis luculentissimè diffarentia, & extremam hominum securitatē deplorantia Matth. 24. 2. Pet. 2. 3. Meminerimus igitur non esse nostrum scrutari temporum momenta, quæ Dominus in sua potestate posita voluit, Actor. 1. v. 7.

### II.

Deus serio vult omnium hominum misereri, omnesq; optat ad agnitionem veritatis venire & salutem consequi æternam.

## Quinta Quæstio.

An ecclrum omnium quæ in articulo Elec<sup>tio</sup>nis & Reprobationis hominum in quæstionem veniunt, possit redditio

Id suo exemplo planum facit Apostolus, qui postquam copiosè solideque præcipuas quæstiones hujus negotij tractâsse, tandem videns se abyssum providentiae divinæ ingressum, nec cogitando assequi valens judiciorum Dei profunditatem: exclamatione admodum pathetica disputationem abrumpit, in qua Dei sapientiam, judicia ac vias humanæ rationi imperveftigabiles celebrat. Singularis vocum Emphasis diligenter observanda est: Dei enim bonitatem, sapientiam & misericordiam non simpliciter appellat ἀληθῶν, sed θάλασσας πλάτων τοῦ σοφίας οὐκ γνώστεος:

**Metapho.** Porrò judicia, quæ in genere humano exercet, miranda Apo-  
ra ab ys stolus vocat, κριματα ἀνεξερεύνητα, quorum videlicet rationem  
qui metal- nulla creatura scrutando assequi possit. Consilia verò quibus  
la scrutā- totius universi gubernationem disponit, Paulus nominat ὅδοes  
tur ducta. ἀνεξιχνίασσες, quod nimurum sapientia humana non modò non  
**Metapho-** præcurrere cogitando divinā possit, sed ejus ne vestigia qui-  
ra à vena- dem sequendo legere. Idem Esaias cap. 55. v. 9. Sicut exaltan-  
toribus tur cœli à terra, sic exaltantur viæ meæ à vijs vestris, & cogita-  
ducta, qui tiones meæ à cogitationibus vestris. Probationem hujus affir-  
vestigia mati ex Esai: 40. v. 13, annexit, & ex libro Iob cap. 14. v. 2.  
legunt. Ac deniq; totam disputationem tacita S. S. Trinitatis mentio-  
ne & ἀπομολογίᾳ concludit.

### THESES.

#### I.

**Deprava-** Hujus loci vera sententia à Calvinistarum, tanquam malæ  
tio hujus fidei possessorum, criminacionibus liberanda est: qui postquam  
loci Cal- absolutum illud Electionis & Reprobationis decretū, ex sim-  
viniana. plici & nudo Dei beneplacito atq; ἐθοκία ab ipsis productum,  
dictis Scripturæ solidissimè confutari, multisq; absurdissimis  
absurditatibus miserrimè premi intelligunt. Tandem ad ex-  
clamationem hanc configiunt, cuius integumento figura-  
tum illud suum velare conantur.

#### II.

Sed falluntur & fallunt suo more. Cum enim thesis illa ex  
Scriptura demonstrari nequeat, frustra ex alijs locis colores  
ad eam pingendam petuntur.

Manet

III.

Manet alioqui verissimum, multa esse in hoc articulo, ut & in reliquis fidei mysterijs, quorum, ut potè in abysso scientiæ di-  
vinæ absconditorum, à nobis ratio reddi non potest.

IV.

Cujus generis sunt, Quare Deus uni nationi largiatur Evan-  
gelij lucem, altera neglecta: Quare auditorum aliqui conver-  
tantur, quidā non. De his & similibus respondendum est cum  
Augustino, Iudicia Dei occulta esse posse, iusta esse non posse.

V.

Multa enim Dei iudicia non sunt nobis revelata, teste Apo- Occulta  
stolo in præsenti loco. Vnde apud Esaiam cap. 45. v. 15. dici- Dei iudi-  
cia: Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator.

VI.

De his autem duo hæc probè sunt annotanda: Prius qui-  
dem, abscondita illa non concernere negocium salutis nostræ, Omnia ad  
sed quæ ad id spectant universa per Filium Mediatorem plenè salutē ne-  
esse revelata. Iohan 1. Filius, qui est in sinu Patris, ipse enar- cessaria  
ravit nobis, Actor. 20. v. 27. Non subterfugi quò minus an- sunt reve-  
nunciarem vobis omne consilium Dei, lata.

VII.

Posteriorius verò, abscondita illa non esse revelatæ Dei vo- Abscondita  
luntati contraria, quemadmodum profana impietate adversa. Et revela-  
rij dicunt, Deum multa velle voluntate signi, quæ nunquam ta non pu-  
velit aut probet voluntate beneplaciti. gnant.

VIII.

Potest quidem hæc distinctio Scholasticorum, sano sensu De voluntate  
intellecta, tolerari: Si per voluntatem signi intelligas eam, quæ tate signi  
in verbo est patefacta, voci legis & Evangelij inclusa; Volun- Et bene-  
tatem beneplaciti verò referas ad miranda Dei operæ & oðs placiti,  
& singulorum credentium gubernatione, ut quod vult Alexan-  
drum esse Græcorum primum Monarcham, quod Paulum in  
via Damascena per revelationem singularem, & non alibi, aut  
alio modo convertere. Ita hæc duo voluntatum genera obje-  
ctis prænè differunt.

Sed



**IX.**

Sed adversarij perfidè hac distinctione ad errorem suum stabiliendum abutuntur, dum utrumque genus voluntatis ad eam objecta referunt ἀντίφατικῶς: Ita quidem, ut de peccatoribus in genere dicatur voluntate signi, quod Deus eos converti & salvare velit, dum interim idem ille Deus eosdē planè mortales nunquam converti & salvare velit, voluntate beneplaciti, nimirum ad damnationem à se conditos.

**X.**

*In Deo nō* Hæc blasphemia in Deo contradictorias voluntates fingit, *sunt con-* & promissiones Evangelij penitus evanescunt, atque ei voluntati, *tradictio-* quæ signi esse dicitur, juramentis & Sacramentis confirmatae *riæ volun-* inurit hypocriseos notam, quasi Deus nunquam serio eos dile- *tates.* xerit aut salvare voluerit, qui sua culpa perennant, contrà expre- *fa Spiritus sancti oracula, quibus Deus totum dilexisse mundū,* Christus pro totius mundi peccatis satisfecisse, Spiritus sanctus *toti mundo & omnibus ubique hominibus annunciare, ut pec-* *nitentiam agant, manifestè prædicatur.*

**XI.**

Etsi igitur multorum eventuum rationem reddere non possumus, tamen firmiter statuamus, Deum nulli causam damnationis afferre, secundū dictum: Perditio tua Israel ex te est, ex me autem salus: Et simpliciter inhæreamus verbo revelatorum: Quamvis enim mentem Domini arcana nesciamus: Tamen nos mentem Christi tenemus, I. Cor. 2.

**XII.**

Regi autem seculorum soli beato & omnipotenti Domino dominantiū, habitanti lucem inaccessam, Patri ex quo omnia, Filio per quem omnia, & Spiritui sancto in quem omnia sunt, solo sapienti, invisibili, immortali Deo sit laus, honor & imperium in secula seculorum. Amen.

**Errata.**

C 2. fac. b. lin. 23. ἐκλογῆς! C 3. f. a. l. 27. fundamentia Cruxib  
medijs. C 3. f. a. lin. ultii. Quatenus talis.

AB 22 841 (1)



56.

Hi.77


WCP





**Farbkarte #13**

**B.I.G.**



DISPUTATIO DECIMATERTIA.  
**EX EPISTOLA PAV-**  
**LI AD ROMANOS, PROPOGENS**  
ανάλυσις capituli undecimi.

*Cujus positiones divina adjuvan-  
te gratia,*

**PRÆSIDE DAVIDE RVN:**  
GIO S. THEOLOGIÆ DOCTORE ET PROFESSO-  
RE in Academia VVitebergensi, in collegio disputa-  
tionum Theologicarum privato, defen-  
det 19. Martij,

**M. LAURENTIUS LAELIUS FRANCUS.**



WITEBERGÆ,  
Typis M. Georgij Mulleri.  
Anno M. D. III. C.